

**05**

**A**

**1669**





כ"ש

EXERCITATIONUM PHILOLOGICARUM

PSALMOS  
GRADUUM

qui vocantur, XV. &c.

QUARTA ET QUINTA:

Ad eorundem Quartum & Quintum, aliàs in ordine CXXIII.  
& CXXIV.

Quas

*In Electorali Universitate Wittebergensi,*

PRÆSIDE

INCLUTI COLLEGII PHILOSOPHICI

P. &

DECANO SPECTABILI,

VIRO

*Illustriſſimo, Ampliſſimo atq; Excellentiſſimo,*

DN. ANDREA SENNERTO,

Lingvæ S. cæterarumq; Orientalium P. P. Ordina-  
rio ut Meritissimo, ita etiam longè Celeberrimo, nec non totius Aca-  
demie SENIORE Venerando,

*Domino Patrono, Præceptore atq; Promotore Studiorum suorum omni obser-  
vantia cultu atatem prosequendo,*

Publico Eruditorum Examini sistit

M. GEORGIUS FRIDERICUS MAGNUS,

Posoniô - Hungarus,

*Ad diem XVI. Octobr. Horis Antemeridianis,*

*In Auditorio majori.*

WITTEBERGÆ,

In Officina FINCELIANA Excudebat ELIAS Siebig/Anno 1669.

VIRIS

*Plurimum Reverendis, Amplissimis, Pra-Clarissimis,*

**DN. DAVIDI TITIO**, Ecclesiae POSO-  
NIENSIS Evangelicae in Hungariae Inferioris Metropoli Pa-  
stori benè meritissimo, & Venerabilis Contubernii  
Ejusdem Comitatus SENIORI Gravisimo;

**DN. M. ANTONIO REISERO**, Ecclesia-  
stae ibidem Vigilantissimo, ut & Venerab. Contubernii  
Ejusdem DECANO longè dignissimo;

**DN. M. VALENTINO SUTORIO**,  
Symmystae ibidem fidelissimo;

Omnibus Florentissimi Gymnasii Orthodoxi  
INSPECTORIBUS Spectatissimis,

*Dominis Patronis suis Maximis, Promotoribus multis  
nominibus æternim devenerandis,*

Haec Exercitationes Academicas grati animi, tot  
beneficiis cohonestati, indices, & debita Obser-  
vantiae testes

Devotâ nuncupatione inscribit

IPSORUM Celeberrimo Nomini  
perpetuò devinctus  
Cliens,

M. Georgius Fridericus Magnus.

בְּיַעַע

# PSALMUS GRADUUM

QUARTUS:

In Ordine Psalmorum aliàs CXXIII.

**P**salms *ἐυκτιμὸς*, precativus, simplex & satis planus, seri-  
us admodum tamen; pro liberatione à contumeliis  
& contemptu hostium (sicuti superior primus grad. vel  
CXX. item à calumniis &c.) fortè in, aut circa vel  
post captivitatem Babylonicam (Vid. & conf. Nehem. II. v.  
penult. cap. IV. v. 1. seqq.) traditus populo, tanq. communis  
precandi quædam formula. Ejus *Μνημονευτικὸν* esto hoc qui-  
dem nobis; *Oculi.*

Vers. I.

אֶתְעִינִי וְגוֹ *Ad te levavi, (levo) oculos*  
*meos, qui habitas (habitans es) in cælis.*] Conf. supra Psalmum  
grad. s. CXXI. *levabo, levo, oculos meos ad montes, V. illum.*  
Contestatio h. l. primùm fiducia majoris cujusdã præmittitur  
per priora commata duo. הִישָׁבִי Particip. Kal cum Jod  
paragogico. Adspergitur porrò argumentum à facili quo-  
dam modò: à majestate scil. omnipotentiã, bonitate & ju-  
sticia DEI desumptum, *qui in cælis habitas, (Targum:*  
*עַל כּוֹרְסֵי יְקָרְמָה בְּשָׁמַיִם super sedem gloria in cælis,)* i. e.  
vel quasi dicat: Tu, qui cum omnia possis, modereris & gu-  
bernes, adjuva me, nos &c. Conf. Psalm. CXV, 3. In cælum  
deniqve prospectus conjectusqve oculorum hominibus, in  
A mise-

miseria præsertim constitutis, quæ naturalis & insitus: pecuinam contra oculos declinare in terram. Quorsum & Poëta:

*Os homini sublime dedit, cælumq; tæri  
Fussit, & erectos ad sidera tollere vultus.*

*Vers. 11.*

הָיָה כְּעֵינֵי עֲבָדִים אֶל־יָד אֲדֹנָיהֶם וְגו' *Ecce sicut oculi servorum ad manum dominorum suorum, sicut oculi ancilla ad manum heræ suæ: ita oculi nostri ad Dominum (Jehovah) Deum nostrum: donec misereatur nostri.* ] *Fiducia* superius notata duobus nunc similibus illustratur, petitis scil. à *servo* & *ancilla*: quorum, (qui genuini quidem sunt,) 1. atque *in genere*, (ex rei conditione, vi & jure naturæ gentiumq;ve, necessitatis item atque mandati,) tota spes atque fiducia fundata est merè in dominorum suorum affectu reciproco & benignitate: ita dicit, aut vult: nostra quoque in Te, Domine, spes sita est, præcipuè in his malis. 2. *Oculos* vel maximè verò nominat, cordis utpote & mentis, animiq;ve affectuum indices. 3. *Manus* quoque notat, h. e. per metonymiam efficientis, auxilium, quod manu fertur. 4. Subinnuit quoque, per ellipsin Verbi relati cujusdam, *intentionem curiosam*. Vult summam dicere nimir: *quemadmodum oculi servorum & ancilla intenti, directi sunt ad manus Dominorum suorum, ita oculi (mentis) nostri ad Jehovaham &c.* Addit 5. *Donec* (urgentis instantisq;ve dictiuncula: conf. historiam Lucae XVIII. ab init.) *misereatur nostri*. Synecdoche generis: h. e. ferendo opem, liberandoq;ve in specie à contumeliis & insultationibus hosti-

um,

um, de quibus mox infra paulò. Siste hic parùm, si placet, L. B. gradum, & nota: Particula *עד* *Donec, usq;* (verba sunt D. Nazianzeni, Orat. 2. de filio) non simpliciter opponitur futuro tempori, sed ponit quidem illud *quousq;*, alterum autem (quod ab eo sequitur) non inficiatur: hoc est, ut B. Chemnitius interpretatur Harmon. evang. cap. 7. pag. m. 86. seq. ita interjectum tempus statuit, ut interim sequens non neget vel excludat. Ita etiam hoc loco, directi oculi affirmantur mentis ad Deum, donec misereatur suorum, sed non ut negetur deinceps, aut lato auxilio divino tollatur illa spes & fiducia eorū in Deū. (Augustinus de Civ. D. lib. XX. cap. 7. fol. m. 1207. *neq; n.*, inquit, *cum misertus fuerit, non erunt oculi servorum ejus ad Dominum Deum suum.*) Qui Canon cum observatur insignem suum habet in plurimis S. Scripturæ dictis explicandis usum. Conf. Psalm. CX. v. 1. Matth. I. v. 25. cap. XXVIII, 20. Actor. III, 21. alia. Videndus omninò D. Glassius Phil. S. lib. III. tract. 5. Can. 12. pag. m. 453. seqq. addatur Lorinus in h. l. qui & in hanc rem prætereà citat Hieronymum, Svidam, &c. Demum Comma hoc secundum eleganter explicat R. Aben Esra ex 2. Paralip. XX. v. 12.

*Vers. III.*

*חַנּוּן יְהוָה חַנּוּן כִּי־רַב שִׁבְעַנּוּ בּוֹ* *Miserere nostri Domine, miserere nostri, quia multum, (& diu) satiati sumus contemptu.* Petitio jam subicitur pro auxilio & liberatione: eademq;ve iterata & pathetica planè, addito, iterum ab adversitatibus, & in specie contemptu, quibus plurimum & diu satiatus sit, peti-

to argumento. רב enim, quemadmodum etiam in sub.  
seq. vers. רב רב adverbialiter h. l. reddendum venit:  
*usultum, admodum, valde, addo diu.* In verbo *saturati sum*  
שבע emphasis quoque est: quasi dicatur: ad plenam mise-  
riarum, ac malorum mensuram nihil amplius deest.

*Vers. IV.*

רב רב שבעה לה נפשנו *Multum satiat a est sibi ani-*  
*ma nostra.*] Repetitio eorundem, sed plenior eadem: sive  
Ἐπιμύθη h. e. Commemoratio in eadem sententia, sed ἐμφα-  
τιμότης illa. Nam animum ( נפשנו ) & cor in specie jam  
exprimit, ut hæc maximè tangi & affici in adversitati-  
bus hisce & injuriis affirmet. Addit verò, vel præmittit  
quoque affixum pleonasticum לה sibi, ( notes & insi-  
mul formam רחיק טעם Vid. Præcept. gr. n. ed. pag. 26.  
ann. 3. ) sed idem omninò energeticum. Vid. Pr. cit. p.  
168. seqq. Conf. item Lorinum hîc.

השנניו הילעג הילעג *subannatione tranquillo-*  
*rum, quietorum, ad liter.*] Ut ut enim LXX. Vulgatus  
Æthiops, imprimis v. Arabs ( qui: *Opprobrium da o-*  
*pulentis &c.* ) hæc Verba separent à superioribus (quod  
& agnoscit Bellarminus hic) & absolutè accepta, in casu  
recto, Imprecationis cujusdam faciant formulam: atta-  
men rectiùs ( fatente & ipso Bellarmino ) conjunguntur  
cum superioribus dicto modo, quod & accentuationis  
jubet habitudo. Consent. ni fallor, Targum & Syrus. הילעג  
porrò significat propriè *blasè loqui, balbutire.* Jesaiæ  
XXXIII. v. 19. הילעג לשון *blasus lingua, sine rectâ,* quan-  
tum alios intelligentiâa, ut *utens etiam lingua peregrinâ,*  
quæ non intelligentibus videtur risus, ridiculusq; adeò  
fer-



fermo. In genere postmodum, hujus imitatione, no-  
 rat *subsannare, illudere, irridere aliquem.* נַנְנָו Nom.  
 quadrilaterum: *tranquillus, quietus* propriè & aliàs. E-  
 jus verò genuinus sensus hic loci dependet & à verbo  
 precedente *saturati sumus*, quod sc. abundantiam  
 quandam subinnuit, q. d. à quietis, abundantibus, pro-  
 sperè agentibus, & lucem denique accipit etiam suam à  
 seq. nomine *superborum* (metonym. efficientis.) Nam  
 tranquillitas & prosperitas, cujus comes abundantia &  
 saturitas, plerisqve rùm postea præbet occasionem su-  
 perbiendi. V. & conf. Amos VI, 1. Unde & Germanis  
 sua, hæc parœmia: *Gutt macht Muth.* Ut adeò sen-  
 sus h. l. hic ferè sit, ac si dicas: *multum satiati sumus*  
*subsannatione abundantium, efferentium sese, in-*  
*solentium, superborum.* B. Lutherus: *der Stolzen*  
*Spott.* Conf. Bellarminum, Lorinum, Muisium, Me-  
 noch. alios consentientes nobis. Simon de Muis, cita-  
 tus modò ad h. l. præeuntibus Aben Esra & Kimchio ob-  
 servat, nec malè, ex indole lingvæ desiderari hic alterum  
 אַלְעַל absqve He emphatico, quod vulgò vocant: ut sen-  
 sus emergat hic: *subsannatione, subsannatione, in-*  
*quam, abundantium, &c.* Conf. si placet, Pr. gr. n. ed.  
 pag. 138, 8. p. 143, 4.

לְהַאֲוִיּוֹתָם *contemptu superborum*] Ver-  
 ba ἐξηνγηθηκα priorum. לְהַאֲוִיּוֹתָם *superbi, elati* plur. tan-  
 tum. Quod volunt esse compositum. Sed cur quæso?  
 Punctatio videtur saltem esse ex parte anomala, & ha-  
 bente sub se Tsere, cum deberet Scheva: לְהַאֲוִיּוֹתָם q. dicas  
 in singulari, pro לְהַאֲוִיּוֹתָם vel לְהַאֲוִיּוֹתָם. Rad. לְהַאֲוִיּוֹתָם *elatum, su-*  
*perbum esse:* Luther: *und der Hoffärtigen Verachtung.*

LXX, Latin. Æthiops, Arabs iterum in casu recto : *despectio superbis*. Vid. superiora. Addamus adhuc tandem interpretationem Symmachi horum verborum (posteriorum comm. ult.) apud Drus. in fragm. & Lorin. hic : πολλῶν ἐχορτάθη ἡ ψυχὴ ἡμῶν, ἐπιλαλόντων τῶν εὐθηνόντων καὶ ἐξευτιζόντων τῶν ὑπερηφάνων : *multum satiata est anima nostra, obloquuntibus bis qui abundant, desipientibus superbis*. Dubie.

† תלה †



PSAL-


כביעע  
PSALMUS  
GRADUUM

QUINTUS :

In Ordine Psalmorum aliàs CXXIV.

**E**T Davidi expressè hoc Canticum iterùm adscribitur : ( Syro paraphrastæ anonymum est, falsò : ) gratulatorium atq, εὐχαριστικὸν idemq, pro mirabili liberatione ab hostibus, vel quibuscunqve. Eius Μνημονευτικὸν hoc fortè esse posset : DEO Duce evasimus : vel : Laqueus disruptus.

Vers. I.

לֹא אִיְיָ אֱלֹהֵינוּ לֵבְנוֹתֵינוּ לֵבְנוֹתֵינוּ לֵבְנוֹתֵינוּ  
*Nisi Dominus fuisset nobiscum, dicat nunc Israël*] Asseveratio, sive Gratulatio potius præmittitur quædam. Aliis adhortatio, quæ excitantur animi ad agnoscenda & celebranda beneficia divina, exposita utcunqve vers. 1. 2. 3. 4. & 5. Δοξολογίας formula insignior seqvitur v. 6. 7. 8. לֹא אִיְיָ pro quo & לֵבְנוֹתֵינוּ reperitur, Compositum ex לֹא si & לֵבְנוֹתֵינוּ non, i. e. nisi. לֹא אִיְיָ לֵבְנוֹתֵינוּ Lorinus hic; *Chaldaicè: nisi fuisset Verbum Domini* : quod in Anglicanis certè alibi non reperio, hic quidem, sed in seq. commate. In Verbis hisce porrò ellipsin alii statuunt (Osiander, Mollerus, Muscul.) hoc sensu : *nisi Dominus fuisset, qui fuit nobiscum* : alii πλεονάζειν volunt το' ψ (Gesner. Piscator, Glass.) hoc modò : *nisi Dominus fuisset nobiscum*. Sensus ad idem redit, quicquid statuas. Syrus:  surre-

*surrexisset.* Lamed in לִנְיִּי hic notat auxilium vel defensionem, & exponendum venit per *cum* vel *pro*: uti Genes. XXXI, v. 42. Psal. CXVIII, 6. alibi.

*Vers. II.*

וְגַם לִנְיִּי *Nisi Dominus fuisset &c.* ] Anadiplosis [ *πρωτολογία*, sed pathetica planè, magnitudinem periculi, liberationis miraculum, & hinc consequens gaudium exprimens.

וְגַם לִנְיִּי בְּקוֹמֵנוּ *in insurgendo super, contra nos hominem, ad lit: ] vel cum exsurgerent contra nos.* קוֹמֵנוּ constructum mediante particula וְגַם vel וְגַם vim, impetum atq; hostilitatem notat, Gen. IV, 8. Jud. IX, 18. Psalm. XLVIII, 5. Sic & cum בְּ Psal. XVII, 12. Mich. VII, 6. alibi. Conf. Schindl. in Lex. Furor atq; rabies hostium notaturq; eo. וְגַם / Targum: בְּרַבְרָא. Utrumq; collectivè vel in numero multitudinis accipiendum pro hominibus multis per plurimos, quicunque jam illi fuerunt, ac cujuscunq; temporis (incertum, cum non expressū h. l.) Ammonitæ, Moabitæ, Syri, Assyrii, Philistæi, Idumæi, Amalekitæ, alii: Vid. & conf. 2. Sam. cap. VIII. 1. Paralip. XIX. Muisius hic, per contemptum sic h. l. hostes וְגַם vocari etiam vult. V. hunc.

*Vers. III.*

וְגַם לִנְיִּי בְּרַעְיוֹנוֹ *Tunc vivos deglutissent nos, cum excandesceret furor eorum super nos ] Potentiam, immanitatem hostium, porrò periculum imparesque vires depingit & illustrat duabus similitudinib9. Prima h. l. desumpta est ab ingenti, feroci & famelicâ bestia ali-*

aliquâ, quales ursi, leones, pantheræ imbellem & innocentem quandam pecudem, ovem v. gr. vivam captam deglutientes. Vulgatus: *Fortè, forsitan*. Ebr: **וַיַּיְנַן** tunc, Chaldaus: **וַיַּיְנַן** en, ecce, Arabs: **وَإِنِّي** agè, certè. Quid hic v. Bellarminus? *nos tamen non audemus*, inquit, *ullo modo à lectione Vulgatæ editionis recedere.* & post pauca: *major ei (Hieronymo) fides, quam ullis dictionariis habenda est.* Papæ! **וַיַּיְנַן** ira: hinc *vultus, facies, iræ index: Synecdochicè planè nasus.* Unde alii aliter. Notes adhuc: Verbum nomen conjugatum sive verbale suum, vel *aliud ejusd. notionis, ut b. l.* regens auxelin s. vehementiam notat. V. & Conf. Gr. n. ed. p. 176. Item, Particulæ inseparabiles **בְּכֹל** Infinito præfixæ constituunt Gerundia, ut plurimum: v. gr. *in excandescendo iram ipsorum:* vel, ipsæ naturam induunt adverbiorum sive Conjunctionum & verbum infinitum resolvunt in finitum: v. gr. hic: *cùm excandesceret furor eorum super nos.* Gram. cit. pag. 188. seq.

*Vers. 1 V.*

**וַיַּיְנַן** **וַיַּיְנַן** **וַיַּיְנַן** *Tunc aqua inundassent (absorbuissent) nos* ] Alterum simile, desumptum ab impetu, diluvio vel inundatione aquarum, ac suffocatione consequenter hominum animantiumque cæterorum, imò inanimatorum subversione & vastatione, agrorum, hortorum, v. gr. civitatum totarumq; regionum: Vulgata iterùm suum repetit *forsitan*: Ebr. **וַיַּיְנַן** tunc: *דַּעֲרִימָא* particula h. l. digito demonstrans vicissim præsens periculum & miraculosam liberationem. Vid. superiora. **וַיַּיְנַן** aqua: Metaphora. Hostes intelligit. *Aqua multa,*

B

*multa,*

*multa, populi multi*: frequens in S. Scripturis phrasis: Conf. vel Apocalyps. Joh. c. XVII, v. 15. adde Jes. VIII, 7. cap. XVII, 12. Jerem. XLVII, 2. &c. Aliàs v. atqve in genere sapissimè denotant calamitates quasvis & pericula, Jes. XLIII, 2. Psalm, XVIII, 5. XXXII, 7. LXIX, v. 2. 3. & 16. CX, 7. CXLIV, 7. &c. שטף porro plus est, quàm רחץ, impetum infert, ivit cum impetu, præcepit ruit, de aquis impr. sumtum *immersit*, inundatione obruit, *suffocavit* significat.

נפשו עבר נחל־הַ torrens transiisset super animam nostram. ] נחל־הַ Vallis & torrens subito & cum impetu per vallem decurrens. Hostium impetum iterùm notat. *Transiisset super animam nostram*. Synecdoche membri: id illa ἐμφατιστέρα. Animæ suffocatio, exitium plenissimum. Malè hæc posteriora verba iterùm LXX. & Latinus: *torrentem pertransiit anima nostra*. Cæterùm Conciliatores hic vide, sodes, talium cum fontibus Bellarminum h. l. & Lorinum: qui: (posterior) ex Ebrao textu tollatur τὸ עָבַר, & possunt cætera verti &c. Bene.

Vers. V.

אָז עָבַר וַיִּגַּד Tunc transiisset super animam nostram &c. ] Anadiplosis iterùm pathetica, eademq; non sine augmento. Piscator ellipsin facit h. l. vocabuli *torrentis*, quod ἀπὸ τῆς κοινῆς ex comm. præced. sit repetendum: h. m. *tunc transiisset super animam nostram* torrens, aqua superbissima. Nec malè quidem & citra πᾶτος. Conf. infra panlò Interpretes Græcos. Alii enallagen numeri faciunt in Verbo עָבַר, tran-

transissent, scilicet B. Lutherus, Gesnerus, Mollerus, Musculus, &c. הַיָּרֹנִים הַמַּיִם *agua tumida, copiosa* וְ *subitò intumescens, vehementes & impetuosæ.* Græci: τὸ ἴδιον τὸ ἀνυπὶστατον, *agua non subsistens*: ita & Aq. Theod. Symmach. vid. Drus. in frag. Alius, cit. ita Drus. all. loco: tunc transierunt super animam nostram, *veluti aquæ, superbi*: paulò aliter. Targum: *rex, qui comparatur aquis elatis.* Res eò redit fere. Verbo: Metaphora κατὰ χεῖρα. Sic Jobo XXXVIII, II. πάθος facit & addit in super articulus η̄ repetitus: *agua*, q. d. *illa, illa* superbissima: Lutherus eleganter: *all zu hoch.* Notantur demùm eò per omnia hostes iterùm, periculi magnitudo &c. Vulgata perperam vicissim: *forsthan pertransisset anima nostra aquam intolerabilem.*

Vers. VI.

וְגַם בְּרֹחַ יְחִיָּהּ *Benedictus Dominus, qui non dedit nos prædam dentibus eorum.* ] Δοξολογία sequitur jam, sive formula gratiarum actionis pro mirabili liberatione: amplificatione ejus factâ duobus iterùm similibus. Primùm h. l. respiciens ad superius prius, vers. 3. Liberatio quod est, & exceptio pecudis cujusdam imbellis & innocentis è dentibus & faucibus superius notatæ bestia.

Vers. VII.

בְּפִשְׁנוּ כְּצִפּוֹר נְמַלְטָה מִפֶּחַ וּקְשִׁים וְגַם *Anima nostra sicut avis liberata est de laqueo aucupum: laqueus contritus est, & nos liberati sumus,*

mus, evasimus.] Alterum simile, petiitum à liberatione vel ereptione aviculæ cujusdam miseræ, ideò maximè, quia captæ. Vulgat. specie pro genere positâ, sicut *passer* addito: *venantium*, pro irretientium vel aucupum. Quæ porro, in gratiam iterùm Vulgatæ, & in specie hîc voculæ *venantium*, de *Sidonis* & צִירוֹנִים h. e. *venantibus*, (scilic.) textumq; fortè Ebr. fuisse ideò mutatum, &c. Lorinus profert, non merentur satis asteriscum nostrum: transeant. Dolos demùm, technas, insidias hostium hic maximè depingit, (uti suprâ apertam vim impetumq;) & è regione improvisum & inopinatò subitoq; (laqueo fortè fortunâ, vel ex DEI potiùs directione, fracto) subortum divinitùs auxilium.

Vers. VIII.

עֲזָרְנוּ בְּשֵׁם יְהוָה עֲשׂוּהָ שָׁמַיִם וָאָרֶץ *Auxilium nostrum in nomine Domini, qui fecit cælos & terram.*] Clausula, sive epiphonema εὐχαριστικόν, summam totius Cantici breviter continens. *Qui fecit &c.* Epitheton DEI, quo vix aliud majus & antiquius: conf. mox Gen. XIV. vers. 19. & 22. &c. De phrasi *In nomine Domini* V. suprâ præced. Psal. CXXII. v. 4. Iterùm & de illâ: *qui fecit &c.* Pl. CXXI. v. 2. CXXIII, 1. &c. cum quibus non tantùm hæc nostra, in præ-senti, conveniunt, sed alterum alterius ἐξηγητικόν est.

תְּלַח:

⦿ (†) ⦿



## COROLLARIA.

### I.

**M**eritò à Spectabili DN. PRÆSIDE  
*Accentuationis Doctrina difficilis non tantum, sed & inextricabilis adhuc salutatur in Scia-*  
*graphia de Accent. Ebr. Documento sit, adhuc sub Judice*  
*pendens Controversia, de duplici Accentuatione Deca-*  
*logi, quam CL. Sam. Bohlius duplici ejusdem distinctioni*  
*juxta versus & juxta præcepta adscripserat, censuram id-*  
*circò incurrens Joh. Buxtorf. Dissert. de Decalogo, §. 64.*  
*seqq. & Th. Hackspan. part. I. Not.: Bibl. p. 355. f. Nobis*  
*quàm maximè Bohlii solutio arridet, ingeniosa illa, in-*  
*super etiam legitimam præceptorum divisionem, Or-*  
*thodoxis familiarem, inde demonstrans, quàm non po-*  
*terat non impugnare Buxtorfius.*

### II.

Quid per **בהמות** & **לוייתן** Job. XL. & XLI. intel-  
ligatur? anxia mentis sollicitudine ab Interpretibus di-  
sqviritur. Theologorum & Philologorum pleriq; per  
**בהמות** Elephantum, & per **לוייתן** Balanam indigita-  
ri existimant. Vide Commentatores h. l. Ab his omni-  
bus haud ita pridem divortium fecit Vir *ἀνατολικόγλωτ-*  
*τῶν*, Samuel Bochart, in Eximio Hierozoici Opere, part.  
II. l. V. fol. 755. seqq. & fol. 770. seqq. priori vocabulo Hip-  
popotamū, posteriori Crocodilū designari propugnans.  
Nos, uti quævis suo abundare sensu facilè patimur; ita  
non possumus non communiori sententiæ calculum  
nostrum largiri, præsertim cum nihil obstare deprehen-  
damus, quin opinio, *quæ est antiquissima, sit quoq; veris-*  
*sima.*

### III.

## III.

Varia à variis obscuriori vocabulo הגרים Psalm. LXXXIII. v. 6. non quidem faculae accensae, sed tenebrae offusae sunt. R. Aben Esra, cit. Joh. Viccars *Decapl. in Psalm. fol. 244. Hagarenos ex Hagare per alium maritum oriundos existimat.* Syrus גַדְרֵי גַדְרֵי Gadarenos vertit. Longius non tam ab his, quam Veritatis limine recessit הרגום *Hungaros* h. l. exponens. Quo ipso *Josephus ille luscus*, si non prorsus caecutiisse, certe parum vigilasse mihi videtur.

## IV.

צפנר פענא Gen. XLI. 45, non est Aegyptium *Ἰουτοῦ Φανχ* vatem futurorum notans, ut vult Athanas. Kircherus in *Prodrom. Copt. p. 125. f.* sed צפנר est Copticum *ἠοπινατ* vel *ἠοπιαντ* i. e. desiderata, quaesita nec inventa, & פענא *πανηχ* i. e. doctor vel index, uti nuper à disput. Kirchero opposit à ad oculum demonstravit Excellentiss. Dn. Pfeifferus. Unde elucescit, *Oedipum* illum *Aegyptium* non multum hic abfuisse à *Davo*.

## V.

Saracenorum & Turcarum obscura derivandi ratio, non aequè obscura facinora sunt. Illos Scalig. de *Emend. Temp. l. 2. p. 108.* & Hottinger. *Thef. Pbil. p. m. 63.* à شرق furatus est, deducunt: Rectius Edvv. Pokokius ad *Abul Faraj.* dictos ait à شرق, quasi Orientales. Hos, missis aliorum placitis, vel à *Togarma* Gen. X. 3. vel commodiùs à voce Turcica תורק *Tork*, quae latronem notat, derivabis. Utinam parcius HUNGARIA voculae veritatem esset experta!

TANTUM.

05 A 1669

ULB Halle

3


003 779 033



Wort







93

כשש

EXERCITATIONUM PHILOLOGICARUM

# PSALMOS GRADUUM

qui vocantur, XV. &c.

QUARTA ET QUINTA:

Ad eorundem Quartum & Quintum, alias in ordine CXXIII.  
& CXXIV.

Quas

*In Electorali Universitate Wittebergensi,*

PRÆSIDE

INCLUTI COLLEGII PHILOSOPHICI

P. t.

DECANO SPECTABILI,

VIRO

*Reverendissimo, Amplissimo atq; Excellentissimo,*

## DN. ANDREA SENNERTO,

Lingvæ S. cæterarumq; Orientalium P. P. Ordina-  
rio ut Meritissimo, ita etiam longè Celeberrimo, nec non totius Aca-  
demie SENIORE Venerando,

*Domino Patrono, Præceptore atq; Promotore Studiorum suorum omni obser-  
vantia cultu atatem prosequendo,*

Publico Eruditorum Examine sistit

### M. GEORGIUS FRIDERICUS MAGNUS,

Posoniô - Hungarus,

*Ad diem XVI. Octobr. Horis Antemeridianis,*

*In Auditorio majori.*

WITTEBERGÆ,

In Officina FINGELIANA Excudebat ELIAS Fiebig/Anno 1669.

12